



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **GOASOËNSIS** IN GANA NOVA CONDITUR
DIOECESIS GOASOËNSIS Ad aptius provehendam aeternam salutem et efficacius consulendum simul pastorali
regimini Christifidelium Ganae commorantium intra fines Sunyaniensis dioecesis, nuper est petatum ut, eadem divisa,
nova constitueretur Ecclesia. Quapropter Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi
pro Gentium Evangelizatione praepositi, omnibus mature perpensis ac faventi habito voto Venerabilis Fratris Andreae
Dupuy, Archiepiscopi titulo Saelesiensis et in memorata Natione Apostolici Nuntii, admotam postulationem censuerunt
esse accipiendam. Nos igitur, pro summo, quo fungimur, munere de cunctis Ecclesiis particularibus solliciti, talem
sententiam ratam habemus atque Nostra Apostolica potestate sequentia decernimus. A Sunyaniensi dioecesi
distrahimus territorium districtuum civilium nuncupatorum Asunafo, Asutifi, Tano et Ahafo Area; ex eoque novam
condimus dioecesim *Goasoënsis*, quam metropolitanae Ecclesiae A litore aureo suffraganeam facimus atque
iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe
Goaso » ac paroeciale templum ibidem exstans, Deo in honorem sancti Antonii dicatum, ad dignitatem cathedralis
ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus ad effectum adducet
Venerabilis Frater Andreas Dupuy, quem diximus, qui, re acta, curabit documenta conficienda sincerisque exemplis ad
eandem Congregationem cito mittenda. Hanc denique Apostolicam Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam
esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctam Petrum, die quarto et vicesimo
mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo septimo, Pontificatus Nostri vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Carmelus Nicolosi, *Protonot. Apost.*

Antonius Macculi, *Protonot. Apost.*

s.n.

*A.A.S., vol. XC (1998), n. 2, pp. 82-83 © Copyright 1997 - Libreria Editrice Vaticana